



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

8. Ornatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

& considerato scandalo, quod forte detur; gravitatem, levitatem culpæ dimittere. Quia in re strictè loquitur Bossius l. c. num. 8. dum absolute dicit, Choreas agere in Ecclesia esse peccatum mortale, sicut nippis laxè loquuntur aliqui, apud Bossium l. c. dum aiunt absolute, non esse mortale: Ita Sanch. in consil. lib. 1. cap. 8. dub. 24. num. 22. ex Lopez, nam secundum mensuram irreverentia, & qualitatem Chorearum, definienda erit & culpa.

6. In Clementina de statu Monachorum, cap. 2. dicitur de Monialibus, Non Choreas, non festis secularium prosequuntur; non videtur imponi præceptum, sed ea monentur juxta sana consilia; neque enim Moniales inter se forte ex aliqua occasione putas Choreas agere; etiam ob recreationis gratiam, audeo de peccato mortali condemnare quamvis profectò digna sit culpa, quæ severè à Superioribus castigetur.

§. VIII. Ornatus.

1. **H**uc Ornatum mulieris reduci curiosus Lector vult; huc ergo reducamus.

Nomine ornatus intelligitur omnis cultus muliebris per pigmenta, & comam apposititiam, per intortos capillos, per peccoris nuditatem, per ornamenta aurea, & gemmata, per novas vestium formas, præsertim si quæ iis vrantur supra statum, vel præter receptam consuetudinem. Ita Less. l. 4. c. 4. dub. 14. n. 105.

2. In hoc ergo certum est: Primò, sine peccato posse quæri ornatum corporis ob bonum finem, non solum scilicet ob necessarium corporis tegumentum, sed etiam ad sui status decorum, nimirum ut pro conditione sui status, honorificè quis prodar in forum; id enim est laudabile, & rectè rationi consequum. Contrà, certum item est, cum evidenti peccato mortali eundem Ornatum quæri, si ob finem, graviter malum, quicumque is sit, conquiritur: v. g. ut quis adulteret, ut turpiter concupiscatur, &c. id quod probatione non indiget. Ita *ibid.* num. 106.

3. Certum est secundò, si se ornet mulier matrimonio juncta, vel ad id aspirans, ut Viro placeat, vel ut Virum nanciscatur, nihil peccare: Ita *ibid.* num. 108. Ratio est, quia hic finis, cum honestus sit, satis honestam illi ornamento causam præbet.

4. Certum sit tertio, mulierem etiam illam, quæ nec nuptia est, nec nuptias intendit, imò & adolescentes, & viros, si se ornent, non ut ab aliis turpiter concupiscantur, sed ut venseantur inter pulchros, & laudentur ut pulchri, non peccare mortaliter. Ita *ibidem* num. 109. ex S. Thom. Caiet. Boss. Ratio est, quia id non continet gravem deordinationem, sed ad summum vanam quandam gloriam coram hominibus.

5. Remanent ergo duæ difficultates: Prior, An excessus in hujusmodi ornatu sit ex se mortalis? Posterior, An saltem sit mortalis ob scandalum, quia nimirum Mulier sic ornata causa est, vel occasio ruinæ spiritualis multorum.

6. Quoad prius, assero cum D. Thom. 2. 2. q. 169. *art.* 2. ad 4. & Caietano *ibid.* non esse nisi veniale in excessum Ratio est, quia excessus in appetitu, & in rei per se non male, non est nisi veniale, ut patet in excessu cibi, potus, divitiarum, &c. qui non est ex se mortalis, nisi ratione gravis nocuenti, quod aliquando inferret. Sed in casu nostro non est nisi excessus in conquirendo nitore, pulchritudine, cultuque corporis, quæ non sunt ex se mala, sed indifferentia: ergo &c. Adde; Peccatum, ut sit mortale, debet esse graviter contra charitatem Dei, vel Proximi; vel sui ipsius: id quod non est invenire in casu nostro.

7. Quoad posterius, assero, de eo tam bene cordate, ac sapienter scripsisse nunquam satis laudatum, Lessium, *ibid.* num. 112. & 113. ut judicem hæc sufficere, si illius doctrinam ad verbum exscribam: Scio Albertum Alberti, fugè de ornatu mulieris aliquantò scrupulosius

disputare; sed mejuvat Lessium sequi benigniorum. Potest, ait Lessius, in excessu istius ornatus esse peccatum mortale, si forte occiderit, ratione alicujus privatus, &c. nexæ.

Primò ratione mali finis, ut si sit animo peccandi ad libidinem.

Secundò ratione præcepti positivi; ut sit talis excessus, esse veniens aliqua lege, sub pœna excommunicationis, quæ servaretur.

Quod si lex non habeat annexam pœnam, vel saltem non gravem; non erit plusquam veniale: imò credibile est, plerasque Leges Civiles, de hujusmodi, quæ passim in locis habentur, esse solum pœnales, & obligare tantum mulierem.

Tertio, ratione scandali, ut si quis videretur, adeo tenui, vel ita conformata, ut per eam pudenda non viderentur: id enim iudicio morali, non tam esset pulchritudine ostendere, quam homines directè ad libidinem abducere.

Secus est, in nudando pectore, ut Caietanus, Formosus Navarrus notant; præsertim, ubi est ea consuetudo, ut pars illa honestè censeatur, nec natura, aut pudor hominis postulat illam absolute tegi. Grave tamen peccatum est hujusmodi morem introducere, ubi id non est consuetudinis solita exiis magis moventi; & res ipsa merito ob peccatum, etiam ubi recepta tanquam illicitum libidinis abroganda ut Doctores movent.

Notandum tamen non ex eo censeri ornatum scandalosum, quod multi occasione illius putentur ad prava delicta provocandi; ut velle prædicti Doctores tradunt, qui etiam pulchritudine naturalis scandalosa esset: nam multo magis provocat, quam artificiosa: cum natura superet ætem. Itaque etiam si femina puter aliquos peccaturos; non tamen idcirco sub peccato mortali tenetur talis ornatum dimittere: Sicut etiam qui à multis odio habetur, tenetur à publico abstinere, ut inimicis non detur occasio odij. Ratio est, quia ornatus iste solum remota ad malum provocat, ergo non tenetur ab eo abstinere, ne alij peccent, alioquin perpetuò abstinere deberet (cum illa occasio sit perpetua, & universalis) quod nimis grave esset humana conditioni. Sufficit igitur, ut ei peccatum proximi displiceat, & illius saltem nam contemnat. Et Confirmatur quia quia illi peccent, ex eorum provenit qualitas, non ex condicione ornatus: sicut enim circa hanc peccant, ita etiam circa alios eximia pulchritudinis: atqui id quod ex aliorum malitia provenit, non tenetur cum tanto gravamine seipsi impedire. Secus, si aliquo casu ad breve solum tempus peculiare periculum alicujus abstinendum esset: Hæc limitatio non ponit Diana p. 2. tract. 15. res. 36. etiam si ornatus sit superfluus, & maximus, modò sit secundum morem Patriæ, & de se non sit quasi provocativus ad malum. Nunc enim Charitas postulat, ut pro eo tempore talem ornatum superfluum omittam; ne proximus, qui alioquin putatur non peccaturus, inde peccandi occasionem habeat.

Hæc Lessius, qui etiam num. 114. notat ornatum solum vestis alieni sexus, non esse intrinsecè malum; unde ob causam justam fieri posse, v. g. si alia desit, si eger sit, occulta ab hoste, si fiant representationes, &c. & levitate id facere, esse solum veniale, jure facetur.

Vide denique superius, l. 1. c. 1. §. 4. n. 27. ubi notatur rationem, cur non liceat Puellæ se ornata in conspectum amantij consultò dare, ut conspicatur.

CAPVT IX.

Discutiuntur duo dicta Caramuellis in materia Luxuria.

De tertio dicto vid. lib. 10. cap. 7.

1. **P**rimum dictum in reg. S. Ben. num. 1013. est hujusmodi: Infero peccantem cum virgine sodomitæ.